

anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium assereres, longamque huic nomini aetatem, longam gloriam precarere. Jam te providentia deorum primum in locum provexerat, tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas: privatus tibi videbaris, quamdiu imperator et alius esset. Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi et sanctissimo seni utile fuit, quem dii coelo vindicaverunt, ne quid post illud divinum et immortale factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, ut novissimum esset, auctoremque ejus statim consecrandum, ut quandoque inter posteros quaeretur, an illud jam deus fecisset. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quam quia tuus. Ingens gloria, ingensque fama, quum abunde expertus esset, quam bene humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit, eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat, ne desideraretur.

XI. Quem tu lacrimis primum, ita ut filium decuit, mox templis honestasti, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente, fecerunt. Dicavit caelo Tiberius Augustum; sed ut majestatis numen induceret: Claudium Nero, sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille, ut dei filius, hic, ut frater videretur. Tu sideribus patrem intulisti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum; sed quia deum credis. Minus est hoc, quum sit ab his, qui et sese deos putant. Sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas; non alio magis tamen deum et facis et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore, fato concessit, una eademque certissima divinitatis fides est, bonus successor. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiae accessit? num hos proximos divinitate parentum desides ac superbos, potius quam illos veteres et antiquos aemuleris, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contem-